

Et hujusmodi causa ardua censetur esse depositio clericorum, can. ult. 13, q. 7. Unio, et divisio ecclesiarum, c. *Sicut unire, de Excessib. praelat.* Et generaliter omnia ea inter ardua reputantur, quae non expediuntur per episcopum sine capitulo, arg. c. *Novit, et c. Quanto. De his quae sunt a praelat. sine consens. capit.* Ant. de Butrio, cit., n. 1.

10. *Nec dare litteras dimissorias, neque dispensare, nec visitare monasteria.* — Insuper archidiaconus non potest dare litteras dimissorias pro suscipiendis alibi ordinibus, c. *Significasti*, 8, h. t. Neque dispensare: nam regula est, quod inferioribus praelatis sit prohibita dispensatio, nisi ubi apparet concessa; cum inferior legem superioris tollere non possit, can. *Inferior.*, dist. 21. Neque etiam potest visitare monasteria, vel alios jurisdictionis actus ibidem exercere; nisi in quantum ex longeva consuetudine hoc ipsi permissum esse probetur, cap. ult., h. t.

11. *Neque cognoscere causas concubinitus clericorum.* — Item nequit archidiaconus cognoscere causas concubinitus clericorum, juxta Tridentinum, sess. 23, cap. xiv, *de Reform.*, ubi cognitio criminis adeo sordidi, et statum clericalem dehonestantis, non ad archidiaconum, decanos, aut alios inferiores, sed ad ipsos episcopos pertinere decernitur.

12. *Neque causas matrimoniales, et criminales dijudicare, cum haec ad solum episcopum pertineant.* — Rursus iudicio archidiaconi non subsunt causae matrimoniales, et criminales; sed episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquuntur, ex decreto concilii Trident., sess. 24, cap. xx, *de Reform.* Nam causae matrimoniales sunt graves, et arduae, cum in iis agatur quasi de statu hominis; juxta Glossam, 1, in c. *Mulier*, 34, *de Jurejur.*, ac proinde merito iudicio episcopi reservantur, can. *Mullorum*, 33, q. 6, et c. *Accedentibus*, 12, *de Excessib. praelat.* Et haec procedant spectato jure communi, et nisi quis speciali concessione, vel alia legitima causa se tueri possit; prout in cit. c. *Accedentibus*, in fine, recte notatur.

13. *Ex speciali tamen concessione, seu delegatione, potest inferior episcopo causarum matrimonialium cognitionem habere.* — Siquidem imprimis, quod ex speciali concessione, seu ex delegatione, possit inferior episcopo habere causarum matrimonialium cognitionem; patet ex c. *Proposuit*, 4, *de Probat.*, et cap. 1, *Ut lite non contest.*, et ex c. *Ex litteris*, 4, *De in integrum restitut.*, ubi talis delegatio cau-

sarum matrimonialium inferioribus episcopo per Papam facta legitur.

14. *Et sic archidiaconi de causis matrimonialibus in prima instantia alicubi judicant.* — Qua etiam ratione in nonnullis dioecibus, praesertim amplioribus, ipsis archidiaconis de causis matrimonialibus, et aliis, in prima instantia judicare concessum est ex speciali commissione episcoporum, quam jam diuturna consuetudo confirmavit: quamquam istud non conveniat ipsis vi sui officii, ac de jure communi, sed ex speciali dumtaxat episcoporum concessione seu delegatione. Engel, h. t., 4.

15. *Idem potest contingere ex praescriptione, consuetudine, et privilegio.* — Deinde ex aliis quoque legitimis causis, ut puta ex praescriptione, consuetudine, aut privilegio, posse archidiaconum aut alium episcopo inferiorem, acquirere facultatem cognoscendi de causis matrimonialibus, et criminalibus; probat textus in cit. c. *Accedentibus*, ac tenet Glossa, fin., ibid., et alia Glossa, in cap. 1, §. *Coram archipresbytero, de Consang. et affinit.*; Barbosa, part. III, *de Offic. et potest. episcop.*, allegat. 84, n. 5, citans alios.

16. *Et quid in tali specialiter notandum?* — Ubi tamen dictus Barbosa bene notat sacram Congregationem censuisse, quod etiam in eo casu, quo inferior allegat immemorabilem; nihilominus episcopus, utpote tam de jure communi, quam vigore concilii Tridentini habens fundatam intentionem in cognitione causarum criminalium, et matrimonialium, debeat manuteneri, donec de illa immemorabili per tres sententias cognoscatur: ut testatur Rota, in *Theatina jurisdictionis*, 17 decembris 1612, coram Coccino Decano.

17. *Archidiaconi est, curam gerere super clero, etc.* — Quarto, ad officium archidiaconi, quantum est de jure communi, pertinet curam gerere super clero, et bona conversatione clericorum, sedalique ministeriorum clericalium, per ipsum inter eos dividendum, executione, Ecclesiarum restauratione, doctrinaque ecclesiasticorum, ac caeterarum rerum studio: prout amplius habetur cit. can. *Perlectis*, §. *Archidiaconus*, dist. 25, et cap. 1, II et III, h. t.

18. *Potest visitare ecclesias, seu parochias; et qua ratione?* — Quinto, archidiaconus tertio quolibet anno potest visitare Ecclesias, seu parochias totius dioecesis, si episcopus hanc visitare nequeat, cap. 1, §. fin., h. t. Propriam vero parochiam, sive Ecclesias sui archidia-

conatus, potest visitare singulis annis, ac etiam saepius, si hoc necessitas postularit, c. *Mandemus*, 6, h. t. Quam quidem visitationem, ex decreto concilii Tridentini, sess. 24, cap. III, *de Reform.*, debent archidiaconi, aliique inferiores visitatores, peragere per seipsum tantum, atque assumpto notario, de consensu episcopi, cui etiam visitationis factae infra mensem tenentur rationem reddere.

19. *Ad archidiaconum pertinet examinare, ac episcopo sistere ordinandos.* — Sexto, officium archidiaconi est, examinare promovendos ad ordines, eosque nomine sanctae Ecclesiae sistere episcopo ordinandos, c. *Ad haec*, 7, et c. *Ut nostrum*, 9, h. t., et cap. un. *de Scrutinio in ordine faciend.* Verum jure novo concilii Trident., sess. 23, cap. VII, *de Reform.*, dictum examen promovendorum ad ordines, episcopo cum assistentia virorum peritorum competere dignoscitur.

20. *Item examinare beneficiandos, eosque, et abbates instituere, etc.* — Septimo, ad archidiaconum pertinet examinare beneficiandos, eosque instituere, seu mittere in corporalem suorum beneficiorum possessionem, d. c. *Ad haec*, h. t. Sicut et abbates, et abbatissas, in sede sua ponere, c. *Ut nostrum*, 9, h. t. Istud tamen nequit facere archidiaconus sine consensu, atque auctoritate sui episcopi, can. *Nullus omnino*, 16, q. 7, et c. *Cum satis*, 4, h. t. (ADNOTATIO LX.)

21. *Item ministrare episcopo, et in quibus?* — Tandem, ut nonnulla alia taceantur, ad archidiaconum pertinet episcopo ministrare; ut censuit sacra rituum Congregatio in *una Pisauriensis*, 10 junii 1600. Ac episcopo solemniter celebrante Evangelium, si voluerit, legere, vel alteri diacono illud legendum praecipere, atque alios altaris ministros designare, can. *Perlectis*, §. *Archidiaconi*, dist. 23, et cap. II, h. t. Quinimo archidiaconus, si sit prima dignitas, debet exercere officium presbyteri assistentis cum pluviali episcopo solemniter celebranti, juxta formam caeremonialis episcoporum: prout a sacra rituum Congregatione iterato decisum fuisse, refert Barbosa, lib. I, *Jur. Eccles. univ.* cap. XXIV, n. 50.

22. *Quoad praemissa sunt attendendae consuetudines, et statuta particularia singularum Ecclesiarum.* — Plura de officio archidiaconi dicere superfluum est: quia in variis dioecibus plurima circa archidiaconos in desuetudinem abierunt, vel per vicarium generalem, aut alios ministros expediri so-

lent; adeo, ut Navarrus, cap. XXV, *Manual.* n. 133, quem citat Garcias, part. VII, *de Beneficiis*, cap. VII, n. 38, asserere audeat, se in Hispania neminem scire, qui sit archidiaconus talis, de quo loquitur praesens rubrica. Proinde secundum consuetudinem, et statuta particularia singularum Ecclesiarum, officium, atque dignitas archidiaconi vel maxime erit attendenda, arg. c. *Ad haec*, 2, *de Excessib. praelat.*, ubi Glossa §. *Consuetudines*. Inquit, et varie probat, quod jurisdictio archidiaconi potius ex consuetudine, quam ex jure juvetur. Quod si vero deficiat consuetudo, tunc jus commune attenditur. Barbosa, lib. I, *Jur. Eccles. univ.*, cap. XXIV, n. 37.

TITULUS XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

1. *Archipresbyter, unde sic dicatur? Olim iidem dicebantur episcopi, et presbyteri.* — Archipresbyter vi nominis idem est, ac Princeps presbyterorum, sive seniorum: hoc est, primus inter seniores. Nam *Presbyter* graece, latine *senior* interpretatur, can. *Cleros*, §. *Presbyter*, dist. 21. Et quidem non tantum propter aetatem, vel decrepitam senectutem (quanquam et haec venerabilis sit, et gloria senum canities, can. ult. dist. 84, cum concordantiis), sed etiam propter eorum sapientiam, et dignitatem ecclesiasticam quam acceperunt, *Presbyteri* nominantur. Unde olim iidem dicebantur episcopi, et presbyteri, cit. can. *Cleros*, et can. *Legimus*, dist. 93. Vocantur etiam sacerdotes, quia sacrum dant: nomen enim *Sacerdos* est compositum ex graeco et latino, quasi *Sacrum dans*: et sicut rex a *regendo*, ita sacerdos a *sacrificando* vocatus est; consecrat enim, et sacrificat, ut d. can. *Cleros*, §. *Sacerdos*, dist. 21, notatur.

2. *Archipresbyter, quis?* — Itaque Archipresbyter idem est, ac primus inter presbyteros, qui videlicet praest, atque imperat aliis presbyteris in iis, quae sunt sacerdotalis officii: sicut a pari primus, seu antiquissimus inter episcopos, appellatur archiepiscopus; et primus inter diaconos archidiaconus.

3. *Vocatur alio nomine decanus.* — Porro Archipresbyteri alio nomine appellantur *Decani*. Non quod necessario debeant praesse

decem aliis presbyteris : sed quia facta translatione a perfectione numeri denarii, omnis ille solet dici decanus, qui aliis præest sacerdotibus; ut notatur c. *Ad hæc*. 7, de *Offic. archidiacon.* ibi « Archipresbyteri, qui a pluribus diaconi nuncupantur. »

4. *Et subest archidiacono.* — Cæterum licet archipresbyteratus, quantum est de jure communi, sonet dignitatem; hæc tamen primum sequitur archidiaconatum, simulque archipresbyteri subjacent jurisdictioni archidiaconi. Nam quia iste est vicarius natus episcopi, ejusque ad subeunda omnia munia, et onera episcopalia non raro insufficientis, vices supplere debet : merito archipresbyter scire debet se subesse archidiacono : et ejus præceptis sicut sui episcopi obedire cap. 1, h. t.

5. *Archipresbyter duplex, videlicet urbanus.* — Porro duplex communiter distinguitur archipresbyter, unus urbanus, alter ruralis, seu foraneus, juxta c. *Officium*, et c. *Ut singulæ*. h. t. Et quidem *Archipresbyter urbanus* est, qui in urbe episcopali degens præest cæteris presbyteris; atque episcopi vicem in divino supplet officio : de quo plura cap. 1, et c. *Officium*. 3, h. t. Et talis ordinarie est decanus cathedralis : quanquam etiam illi soleant dici archipresbyteri, seu decani urbani, qui in civitatibus degentes præsent aliis presbyteris et clericis, in Ecclesiis collegiatis, ut inquit Barbosa, lib. I. *Jur. Eccl. univ.*, c. 25, n. 6.

6. *Et ruralis, quis?* — *Archipresbyter ruralis* : seu *foraneus* dicitur, qui ruri præest Ecclesiæ parochiali, cæterisque presbyteris minores titulos, sive Ecclesias habentibus, ac super ipsos inspectionem gerit. Et de hæc loquitur cap. ult. h. t. prout notat Glossa ibid. §. *Ut singulæ*, addens, quod præcedens cap. *Officium*, loquatur de archipresbytero urbano, seu civitatensi.

7. *Archipresbyteri urbani officium explicatur.* — Quantum attinet ad officium archipresbyteri urbani, explicatur illud in præsent titulo per totum; ac generatim loquendo, et spectato jure communi, ejus officium est absentis episcopi vices supplere, aut præsentis munus sublevare in omnibus illis, quæ sunt officii sacerdotalis. Specialiter autem ad archipresbyterum urbanum pertinet, super alios presbyteros curam gerere animarum, competentibus horis assidue in Ecclesia stare, in episcopi absentia vice ipsius missarum solemniam celebrare, et collectas seu orationes

dicere, aut dicendas aliis injungere, sacramenta Ecclesiæ fidelibus porrigere, fontem benedicere, aliaque hujusmodi munia sacerdotalia peragere, vel aliis reverenter peragenda committere, et qualiter hæc administrantur, fideliter episcopo referre, cap. 1, et seqq. h. t.

8. *Antiqua inter archipresbyterum, et archidiaconum distinctio, quæ?* — Unde antiqua distinctio inter archipresbyterum, et archidiaconum, reperitur apud sanctos canones, et canonistas, quod iste ministret episcopo in temporalibus; ille autem, sive archipresbyter, ministret eidem in spiritualibus : adeo, ut spectando utriusque dignitatem, secundum administrationem ipsis de jure incumbentem, unus sit episcopi vicarius natus in temporalibus, alter vero in spiritualibus. Card. de Luca de *Præeminentiis*, discours. 20, n. 13.

9. *Circa officium archipresbyteri urbani, seu decani cathedralis, oportet attendere particulares constitutiones, et consuetudines Ecclesiarum.* — Quia tamen plura ex dictis, præsertim quoad archipresbyteros urbanos, seu decanos cathedrales, per contrarias consuetudines, seu particularia statuta Ecclesiarum fuerunt moderata; prout præsertim liquet in administratione sacramentorum, quæ de rigore juris eisdem, utpote natis vicariis episcopi in spiritualibus, per totam diocesin incumbit, juxta cit. c. *Officium*, 3, h. t. Hinc ad dignoscendum rite officium, hisce temporibus per archipresbyteros præstandum, et qualis dignitas ipsis competat, particulares potius constitutiones, et laudabiles antiquæ consuetudines singularum Ecclesiarum, erunt inspiciendæ, et observandæ, juxta dicta in simili tit. præced. n. 22.

10. *Archipresbyteri, seu decani ruralis officium, quale?* — Illud dumtaxat juvabit addere quoad archipresbyteros, seu decanos rurales, quod ipsi præter animarum curam, quam habent, possint ac debeant sedulo circumspicere mores, vitamque aliorum presbyterorum, et clericorum in suo archipresbyteratu; atque attendere, qua industria per eosdem cura exerceatur animarum respectu commissæ sibi plebis, idque episcopo renuntiare, juxta cap. ult. h. t. Insuper, quod iidem valeant minores defectus clericorum suorum absque figura judicii corrigere, eorumque leviora jurgia amicabiliter componere, atque determinare; ut notat Glossa fin. et Ant. de Butrio ibid. n. 1; Bagel h. t. n. 2, et alii.

11. *Nequit is majora negotia, et quæ indigent streptu judicii, expedire.* — Cæterum majora negotia, et quæ absque strepitu judicii nequeunt expediri, archipresbyter ruralis ad episcopum tenetur referre; nec contra ejus decretum quidquam presumere debet, cit. cap. ult. h. t. Adeo, ut etiam delinquentes, vel sibi in officio suo inobedientes, non possit coercere, eisque pœnam injungere absque auctoritate episcopi, quamvis facultatem habeat talia ad episcopum referendi ad effectum, ut ipsemet episcopus contra eosdem, prout ipsi visum fuerit expedire, procedat. Ratio horum est; quia in figura judicii procedere, coercere, pœnasque imponere, requirit jurisdictionem fori contentiosi; atqui talem non habet archipresbyter ruralis respectu clericorum sui archipresbyteratus, arg. cit. cap. ult. h. t. ubi solum ipsi tribuitur facultas attendendi ad eorum mores, et cuncta referendi ad episcopum. Atque ita a Rota decisum fuisse in *una Materanensi officii archipresbyteratus*, 11 decembr. 1598, coram Litta, refert Barbosa, lib. I. *Jur. Eccl. univ.*, cap. xxv, n. 32 et 55.

TITULUS XXV, XXVI, XXVII.

De Officio Primicerii, Sacristæ, et Custodis.

1. *Primicerius generatim, quis?* — *Primicerius* generatim loquendo dicitur ille, qui primus aliquo ordine nominatur, seu in tabula cerata primus describitur. Sic in *Rubr. C. de Primicerio*, lib. XII, primus notariorum appellatur Primicerius, eo quod in matricula notariorum primo loco sit scriptus; ut explicat Glossa ibidem. Similiter L. II, *C. de Fabricensib.*, lib. XI, primus fabricensium, seu arma facientium, vocatur *Primicerius*.

2. *Primicerius in proposito, quis, et quod ejus officium?* — In proposito autem *Primicerius* dicitur *primus Cantor*, seu primus in cantu, seu choro; qui alio nomine *Præcantor* appellatur, imo alicubi magister scholarum, seu scholasticus nominatur. Hostiensis in *Summa*. n. 1, h. t. Pirhing n. 1, eod. Ejus officium describitur in can. *Perlectis*. § *Ad Primicerium*, dist. 25, et cap. un. *de Offic. primicer.* consistens in eo, quod præsit diaconis, et reliquis clericis, in docendo or-

dinem, et modum psallendi in choro pro solemnitate temporum; ipsique incumbit psalmos, lectiones, responsoria, et alia hujusmodi assignare, quæ quisque clericorum dicere debeat, ipsumque chorum regere.

3. *Primiceriatus alicubi est dignitas, alicubi personatus, vel officium. Quid dicendum de sacrista, et custode?* — *Primiceriatus* in quibusdam Ecclesiis est dignitas, c. *Cum accessissent*. 3, de *Constitut.* et c. *Cum olim*. 6, de *Consuetud.* In aliis est personatus, alicubi vero officium dumtaxat; prout juxta diversas Ecclesiarum consuetudines, seu statuta earum particularia, primicerius quamdam præ aliis canonicis obtinet, vel non obtinet præminentiam, sive præcedentiam in choro, capitulo, ac processionibus. Et hoc ipsum habet locum in sacrista, seu thesaurario, et custode : quamvis hi omnes ob speciales labores, ratione officii sui subeundos, ad minimum pinguiori præbenda gaudere debeant.

4. *Sacrista, quis, et quod officium ipsius?* — *Sacrista* dicitur ille, ad quem proxime sacrorum vasorum, et thesauri ecclesiastici cura pertinet : unde alio nomine *Thesaurarius* appellatur, uti liquet ex cit. can. *Perlectis*. § fin. dist. 25, ubi officium ipsius sequentibus verbis breviter explicatur : « Ad thesaurarium (seu sacristam) pertinet basilicarum, et ostiarii ordinatio, incensi præparatio, cura chrismatis conficiendi, cura baptisterii ordinandi, præparatio luminarium in sacrario, et in sacrificiis. » Concordat textus in cap. un. *de Officio sacristæ* : eo tamen addito, quod ad sacristæ curam pertineat custodia sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, et totius thesauri ecclesiastici.

5. *Custodia Ecclesiæ, et vasorum ejus quomodo pertineat tam ad sacristam, quam ad archidiaconum.* — Nec obstat, quod custodia Ecclesiæ, et omnium vasorum ejus, ad archidiaconum spectare dicatur in cap. *Ad hæc*. 3, de *Offic. archidiacon.* Resp. enim, quod sacrista sit subiectus archidiacono, cit. cap. un., ac proinde, quæ proxime ad sacristæ custodiam pertinent, mediante eo ad ipsius archidiaconi curam primario et principaliter spectare dignoscuntur, prout innuit Glossa cit. cap. un. §. *Vasorum*.

6. *Custos, quis, et quod ejus officium?* — *Custos* tandem est quasi minister sacristæ, ut ait Glossa ad *Rubric.* tit. *de Officio custodis*. Ad ejus officium pertinet, ut sui archidiaconi jussionibus in cunctis obediat, et

juxta ejus ordinationem ad Horas canonicas pulset tintinnabula, pallia et linteamina altarium, cæteraque utensilia Ecclesiæ indesinenter custodiat, lampades aliaque luminaria debito tempore accendat, et extinguat, panem et vinum ad Missæ celebrationem præparatum habeat, omnesque oblationes, seu elemosynas, sive decimas (de consensu tamen archidiaconi) fideliter inter fratres distribuat; prout habetur capit. 1 et 2, de *Offic. custod.*

7. *Doctrina generalis circa præfatas officiorum distinctiones, et in praxi attendenda.* — Cæterum, licet præfate officiorum distinctiones de jure communi procedant, hodie tamen in variis Ecclesiis diversi ritus, et peculiare consuetudines reperiuntur: ita, ut quidem titulum, ac præbendam talium officiorum canonici retineant, ipsius tamen officii executionem per vicarios, etiam laicos (etsi sub sua directione, atque inspectione) ipsarumque Ecclesiarum ministros expediant. In praxi proinde optimum erit, antiquam et laudabilem cujuslibet Ecclesiæ consuetudinem, et peculiare ejusdem constitutiones attendere, atque observare.

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Viso de iis, qui serviunt Ecclesiæ nomine proprio, postulat ordo titulorum tractari de illis, qui serviunt nomine alieno. Unde præsens rubrica inscribitur, *De Officio vicarii*: de quo majoris claritatis gratia juvabit in distinctis paragraphis agere.

§ 1.

DE VICARIIS IN GENERE, EORUMQUE DIVISIONE.

2. *Vicarius generatim, quis?* — Quæritur I. Vicarius quis dicitur, et an habeat locum in ecclesiasticis? Resp. I. *Vicarius generatim* dicitur ille, qui vices alterius gerit, sive in officio contentioso, sive in non contentioso. Ita Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 1. id exemplificans partim ex c. *Sua nobis*, §. h. t. ubi agitur de vicario Papæ, vices ejus ac jurisdictionem in urbe gerente: partim ex cap. 1

et 2 eod. ubi mentio habetur de vicario in divinis peragendis, sicque gerente vices alterius in officio non contentioso.

3. *Ipsi obediendum est, ac deferendum, tanquam illi cujus vices gerit.* — Porro, quod vicario ita sit obediendum, et deferendum, tanquam illi, cujus vices gerit; habetur in can. *Præcipimus*, dist. 93. ibi: «Tum enim sicut illius locum tenens honorabitur.» Idem patet ex can. 1. dist. 94. et c. *Sane quia*, 11. de *Offic. delegat.* cum similibus. Nam vicarius in causa sibi commissa fungitur auctoritate sui principalis, cujus gerit vices, prout ibidem notatur: unde qui contemnit vicarium, contemnit illum, qui posuit eum, arg. can. *In novo*, dist. 21. Concordant dicenda inferius n. 20. de vicario generali episcopi.

4. *Vicarius locum habet non solum in negotiis civilibus.* — Resp. II. Non solum in negotiis civilibus ac politicis, sed etiam ecclesiasticis, locum habet vicarius, dummodo debita auctoritate constituatur. Ita communis. Et quidem prima pars liquet ex toto titulo, cod. *De Officio vicarii*, et ex alio tit. C. *De officio ejus, qui vicem alicujus judicis, vel præsidis obtinet*: ubi permittitur magistratibus, et iudicibus, ut possint suos habere vicarios, quorum opera utantur in suis obeundis muneribus, causisque civilibus cognoscendis, et definiendis: de quibus civilistæ.

5. *Sed etiam in ecclesiasticis.* — Altera pars etiam est certa. Nam varia vitæ humanæ impedimenta, ac ipsa negotiorum moles, et multitudo, non semper permittunt, ut episcopus, aut Ecclesiæ rector, vel officialis, omnia concurrentia negotia per se ipsum valeat expedire. Unde tunc locum habet reg. 68 juris in 6. «Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.» Et reg. 72. eod. «Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum,» cum similibus.

6. *In beneficiis ecclesiasticis quilibet officio suo per se fungi debet.* — Dices. In beneficiis ecclesiasticis quilibet officio suo per se fungi debet; ut c. *Quis nonnulli. de Cleric. non resid.*, ubi talibus ecclesiasticum ministerium committi jubetur, «qui residere in loco, et curam ejus per se ipsos valent exercere:» sicque in talibus non videtur locum habere vicarius aliquis. Concordat cap. ult. § *Is autem. de Offic. delegat.* ubi ea per alios fieri prohibentur, in quibus industria, et fides personæ electa censetur: atqui hoc videtur fieri, seu eligi personalis industria, et fides in omnibus spiritualibus ministeriis; ergo.

7. *Quandoque tamen sufficit expedire aliqua per vicarios.* — Resp. negando antecedens, si universaliter intelligatur. Ad allegatos textus juris, et alios consimiles dicitur, inde solummodo sequi, quod in illis, in quibus electa est industria, fidesque personæ, aut requiritur personale ministerium, ut in residentia beneficiariorum, recitatione breviarii, et aliis pluribus, non habeant locum supra adductæ regulæ juris: neque sufficiat facere per alium, quod personaliter quis facere tenetur per se ipsum. Sunt tamen multæ causæ, etiam ecclesiasticæ, quæ possunt expediri per alios, nec requirunt personale ministerium, neque habent electam industriam, fidesque personæ, in quibus proinde locum habere valet vicarius: uti patet ex toto præsentis titulo, et alibi passim. Certe ipsa negotiorum copia, et aliæ justissimæ causæ, non raro occurrentes, ipsaque corporis imbecillitas quandoque requirunt, ut episcopi aliqua expediant per substitutos suos vicarios, cum impares sint ad omnia per semetipsos expedienda.

8. *Quæ sit divisio vicariorum?* — Quæritur II. Quæ sit divisio vicariorum. Resp. I. Spectato jure canonico vicarii primario, ac principaliter dividuntur in eos, qui serviunt in divinis, et in vicarios jurisdictionis. Ita Glossa, et Abbas ad *Rubic. h. t.*, Pirhing ibid. n. 1. et alii; ac patet ex decursu totius præsentis tituli, in quo per totum agitur de hisce duabus vicariorum speciebus, ut mox amplius dicetur. Siquidem

9. *Vicarii in divinis, qui?* — *Vicarii in divinis* dicuntur, qui in divinis ministeriis, et cura animarum, cæterisque ad internum forum conscientiæ pertinentibus, aliorum vices gerunt, eorumque loco deserviunt Ecclesiæ. Et de his agitur toto hoc titulo (dempto cap. penult.) ac in Clement. eod.

10. *Presbyteri illi, qui loco principalis rectoris deserviunt Ecclesiæ, proprie dicuntur vicarii, non parochi.* — Tales vicarii censentur etiam presbyteri illi, qui loco principalis rectoris deserviunt Ecclesiæ parochiali in divinis, seu cura animarum peragenda. Uti fit, quando Ecclesia, seu parochia (juxta formam concilii Trident. sess. 7, cap. vii de *Reform.* ac alibi) monasteriis, Ecclesiæ cathedrali, sive aliis piis locis perpetuo unita, seu incorporata fuit: tunc enim presbyter ille, qui una cum competenti portione fructuum sibi assignata, illic ponitur ad peragendum divina officia, eamque animarum

exercendam, proprie non dicitur *Parochus*, sed *Vicarius*, utpote vices alterius subiens.

11. *Vicarii jurisdictionis, qui?* — *Vicarii jurisdictionis* sunt illi, qui in foro contentioso, seu externo, jurisdictionem vice alterius exercent. Et de his fit mentio in cap. penult. h. t. ubi agitur de vicario Papæ, ac jurisdictione ipsius, quam exercet: et in cap. 1 et seqq. cod. in 8. ubi per totum agitur de jurisdictione officialis, seu vicarii generalis episcopi.

12. *Vicarii episcoporum dantur triplicis generis.* — Resp. II. Deinde vicarii episcoporum in jure canonico triplicis generis dantur: aliqui enim dicuntur vicarii nati, seu legitimi, alii dati, seu constituti generales; et alii foranei. Ita Barbosa, part. III, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 54, n. 15 et seqq. citans alios; atque hoc ipsum patebit ex declaratione terminorum, et juribus simul allegandis. Imprimis enim

13. *Vicarii nati, seu legitimi episcopi, qui?* — *Vicarii nati*, sive legitimi episcoporum dicuntur illi, qui a lege ipsa constituuntur vicarii ipsius episcopi: ut sunt archidiaconus, et archipresbyter. De illo etenim habetur in cap. 1, de *Offic. archidiacon.* taliter: «Archidiaconus post episcopum sciat se vicarium esse ejus in omnibus, et omnem curam in clero ad se pertinere.» etc. De archipresbytero autem dicitur cap. 1, de *Offic. archipresbyt.* «In episcopi sui absentia ad vicem ejus missarum solemniam celebret.» Quia igitur hisce vicariis sua potestas ab ipsomet jure, seu lege conceditur, eorumque officio est annexa absque alio facto, seu ministerio episcopi; merito ipsi censentur esse vicarii nati, atque legitimi ipsius episcopi.

14. *Vicarii dati, seu constituti generales ipsorum.* — *Vicarii dati*, seu constituti generales, appellantur illi, quos episcopus creavit, vel constituit, ut ejus vices gerant in eodem tribunali, et loco, in quo ipse jus dicere consuevit. Et tales solent esse officiales, seu vicarii generales.

15. *Vicarii foranei, qui?* — *Vicarii foranei* tandem appellantur illi, qui in certa parte diocesis extra civitatem sedis episcopalis, vel in oppidis, per episcopum constituuntur, ut ibi jurisdictionem quamdam exercent. Glossa in Clem. *Et si principalis*. §. *Foraneo. de Rescript.*; Barbosa cit. allegat. 54, n. 18, cum aliis. Quia igitur tales foris, sive extra locum, in quo sedes episcopalis repetitur, episcopi vices agunt juxta traditam sibi po-